



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De Vita Atqve Sanctimonia Thomæ A Kempis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

DE VITA
ATQVE
SANCTIMONIA
THOMÆ
A
KEMPIS.

*Ex epistola R. P. Georgij Pirc Kamer, Prioris domus
Carthusianorum Nuremberga, missa ad M. Petrum
Danhausser, scripta verò anno Domini 1494.
17. Kal. Martias.*

1.  VELA prorsus salubrior tibi est medela, mi Petre, quæ te in diuinam mentem S. Trinitatis prouocare poterit, quàm si libros Venerabilis Thomæ de Kempis legeris. Leges autem eosdem cum voluptate, si curaueris, vt tua autoritate æneo opificio imprimantur. Inualuit superioribus diebus apud me, quòd ederes architypos triumphantis Rome, pro nominis eternitate clarissimi eius Sebaldi Schreyers. Res quidem est magna, docta, dignaque tanto viro, tam magnifico ac fortissimo in omni genere virtutis. Sed nihil sanctius, nihil honestius, nihil denique religiosius, pro Republica Christiana condere poteris, quàm curare, vt hæc opera & libri Thomæ à Kempis, viri sanctimonia ac castitate præcipui, in vulgus exeant: quæ multum satis Christianorum religioni accommodare poterunt, hætenus derelicta, velut ignis absconditus in veris silicibus.

2. Fuit reuera Thomas de Kempis professus monachus fratrum ordinis Canonicorum Regularium, vir sanctitate & doctrina eximius: parentibus mediocris fortunæ, matre humili genere, patre verò opifice, qui hisce libellis Plutonem furasque infernales

fernales sapenumero fugavit. Neque temere facis, si ea à tenebrarum sordibus in splendidam lectionum lucem reuocas: quæ aut ingenia prompta expeditaque ad salutis æternæ cupidinem, vtiliumque artium contemplationem, celeri facilique compendio ducunt: aut homines deuotos religiososque à turpi certè a-grestique rerum imperitia vindicant.

3. Quantum verò edificatura sunt ea opera, in omnibus religionis Christianæ viris maximis doctissimisque, nec dici nec scribi potest. Nec paruipendas hæc, humanissime Petre, propterea quod vulgari ac simplici stylo sunt condita. Deus enim ipse Opt. Maximus hanc suorum Apostolorum voluit esse naturam, vt lenocinio verborum & orationis ornatu carerent; quòd simplex & nuda veritas esset luculentior, cum sacra Theologia satis per se ornata sit; ideoque ornamentis extrinsecus additis fucata corrumpitur. Mendacium verò specie placet aliena, quia per se corruptum vanescit ac defluit, nisi aliunde ornata quæsito circumlitum fuerit ac politum.

4. Verùm Venerabilis Pater Thomas de Kempis, non eloquentiæ, sed veritatis fiducia, hæc opera condenda aggressus est: & oratione, quæ de tenui fonte emanat, lumine tamen suo clara & illustris apparet. Quæ de re, à quouis docto, hæc eadem diui Thomæ à Kempis opuscula haud negligenda sunt, doctissime Petre. Hanc apud maiores nostros potissimam lego causam, sacram scripturam contemni, quòd communi & simplici sermone transeat. Sunt enim, qui nihil legere vel audire, nisi expoliturum & disertum volunt: nec quicquam harere animis eorum potest, nisi quod aures blandiori sono mulceat.

5. Hoc accidit D. Cypriano, qui erat ingenio facili, copioso, suauis, & (quæ sermonis maxima est virtus) aperto: vt à quodam homine satis diserto, vna immutata litera, Capriahus vocaretur, quasi elegans ingenium, & melioribus rebus aptum, ad aniles fabulas contulisset. Hæc scribo ad te, doctissime Petre; vt tibi ipsi persuadeas, aliam (nempe æternam) post hanc vitam futuram: vt velis operam dare libris diuinis, & illis animum tuum recreare, voluptatemque illinc petere. Facies autem ea, si studiosior imprimendo opera Thomæ à Kempis fueris: curauerisque, vt iusto commendatoque caractere imprimantur. Vale Nuremberga.

†††

VITA